

27

Q. D. E. V.
DISPVATATIO IVRIS ECCLESIASTICI
DE
CLERICO 1770
RERVM ET OPERARVM
CONDVCTORE

QVAM
PRAESIDE
CHRISTIANO GOTTLIEB
HOMMELIO D.

TIT. DE VERB. SIGN. ET REG. IVR. PROF. PVBL.
ET FACVLT. IVRID. ASSESSORE

IN AUDITORIO MAIORE

DIE XII. CAL. IVN. A. R. S. CIOIO CCLXXIII.

H. L. Q. C.

PVBLINE DEFENDET

FRIDERICVS EMANVEL HELBINGIVS
BVDISSLVSAT.

VITEMBERGAE
EX OFFICINA GERDESIANA

CHRISTIANO GOTTLOB
HOMMELIO II
TIT DE L'ERREUR SOUTENUE PAR
LE PROFESSEUR D'AVIGNON
ANNA DAVIDSON HANNA
DIE ZWEI GÄNZE LÄRNE AUF EINER
LÄRDEICHE DEUTSCHES
PRUDRIEAS HUMANI HERBINGERIAZ
PRAESES FABRI
SITETELEGIA
EX OFFICINA GERBERIANA

EXCELLENTISSIMO AC PERILLVSTRI
DOMINO
CHRISTIANO GOTTHELF
S. R. I.
LIBERO BARONI
A GVTSCHMIDT
SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS
SAXONIAE
A CONSILIIS INTERIORIBVS,
DE OMNI REPVLICA EXIMIIS MERITIS
FLORENTISSIMO

AMPLIFICATORI FORTVNAE SVAE

S V M M A P I E T A T E

PROSEQVENDO

H O C P I G N V S O B S E Q V I I

D E M I S S E O F F E R T

E T T O D O L A B I

A G A T S C H O P P E R

S E R M O N E M U N D I C O M P O Z I T O R I O

E S C H O N I A T

A C O N S I S T E N T I A T I O N I A

E S C O M M I S S I O N E R E S U M M E M E T T I C O


C L I E N S A D D I C T I S S I M U S

O M I S S I O N E R E S U M M E M E T T I C O
F R I D E R I C V S E M A N V E L H E L B I N G .

*EXCELLENTISSIME DOMINE,
DOMINE INDVLGENTISSIME,*

Quanta TVORVM in patriam meritorum est
grauitas, quantaque dignitas, qua obſtri-
cti omnes omnino ciues maximum TIBI de-
bent honorem ac reuerentiam singularem: tanta
maxime TVA in me est gratia atque prolixa vo-
luntas. Qua permotus, hanc almam muſarum
ſedem relinquere, cum in mentem induxerim,
VIRO TANTI NOMINIS hoc ſpecimen, quamuis
ſit leuiffimum, dicare audeo. Accipe, quaefo, has
primitias eadem fronte, qua alio tempore aures
TVAS meis obſeruantissimis ac ſupplicibus preci-
bus praebere es ſolitus. Ego certe ſummis viri-
bus

bus ad id annitar, ne tva munificentia videar indignus; sed ardentissima pro salute tantum
praesidii honorum omnium, proque flore
splendidissimae domus ac felici consilio
rum successu, fundens vota, perpetuam fidem ob
sequiumque comprobem. Vitembergae Die xiiii.
Cal. Iun. c I o I o c c LXXIII.



Quantae ordinum confusio atque perturbatio rei-
publicae pernicie est, tantae e contrario saluti,
ut sua cuique stet distinctorum separata officio-
rum ratio, et vt alii sublimioribus, alii mediis, alii infimis
anumerentur ordinibus, atque alii artibus liberalibus, alii
rei militari, alii artificiis, alii agriculturae, alii mercaturaे,
alii aliis vitae generibus mancipentur. Proinde quem ad
modum, alium in sua turbare prouincia, aut, quod alterius
est, ad se attrahere, nemini fas est, ita nihil accommoda-
tius, iuris sacri ciuilisque conditores et interpretes in ordi-
nanda clericali vita maxime eo respexisse, ne munus sacrum
cum ciuili commisceatur, ab ecclesiae ministris secundum

*Instituti
ratio*

seculum viuatur, quin potius in exercendis negotiis secularibus ex publicae utilitatis causa, cui priuatorum commoda merito postponuntur, iis iustus ponatur modus. Diuersa vitae genera in clericis improbata enarrandi, et scriptores, qui de variis eorum conditionibus et viuendi rationibus ex instituto egerint, excitandi, animus in praesenti non est, cum disputatio DE CLERICO RERV M PAROCHIALIVM LOCATORE ET LAICO CONDVCTORE sub Excellentissimo Praefide praeterito anno habita mihi otium ea in re fecit. Meditanti tamen mihi specimen academicum, quod ad fori vsum omnino accommodatum esset, placuit in doctrina DE CLE-
 RICO RERV M ET OPERARVM CONDVCTORE pro virium
 mearum imbecillitate, doctrinaeque tenuitate ostendere,
 qua ratione clericus in conductionibus seculo inseruire que-
 at, et quae exinde proveniant iura atque obligationes. Ne-
 conatus displiceant omnibus, vehementer opto,

§. I.

§. I.

Quo odio clericorum vel monachorum lucri causa ini-
tas prosequuntur negotiations, et quo grauioribus coercent
ponis hos, cum totos se quaestui terreno et curae oecono-
miae tradunt, *a)* eadem severitate detestantur in clericis,
vt turpis lucri speciem, possessionum conductiones iura
canonica. *b)* Evidem non modo in CONCILIO CAR-
THAGINENSI III. *c)* placitum fuit, vt Episcopi, Presbyteri,
Diaconi et Clerici non sint conductores, neque procurato-
res, neque villo turpi vel inhonesto negotio victum quae-
rant, sed et CHALCEDONENSI *d)* decretum, neminem,
qui in clero connumeratur, conducere alienas possessiones,
aut miseri secularibus procurementibus. Si quis vero trans-
gressus fuerit haec praecepta, correctioni ecclesiasticae sub-
iaceat. Quac prohibitiones postea et in CONCILIO MO-

*Ne clericci
prædia con-
ducant, iura
canonica
præcipiunt.*

A 3

GVNTI.

a) Conf. MICH. GRASS, Disp. de Negotiatione clericorum prohibita
Cap. Final.

b) Imo exprobant conductiones ecclesiae patres, et conciliorum decreta
iuri canonico haud inserta, vid. GONZALEZ TELLEZ, ad Cap. VI.

X. Ne clericci vel monach. negot. secul. se immisc. BOEHMER, Iur.
Eccles. Protest. Lib. III. Tit. XVIII, §. 7.

c) Can. 3. Capit. XXI. Qu. III.

d) Can. 26. Dist. LXXXVI, et Can. 1. Dist. LXXXVIII.

CVNTINO ^{e)} et ab ALEXANDRO III. Pontifice ^{f)} sunt repetitae et ab hoc praesertim, sub interminatione anathematis, grauiter in memoriam reuocatae.

§. II.

Nec minus
in clericis
praediorum
conductiones
iura ciuilia
improbant,

Nec defunt etiam Imperatorum constitutiones, quae conductionis exercitio clericis interdicunt. Maxime huc spectat illa sacra Iustiniiani sanctio, ^{g)} ne isti publicarum aut alienarum possessionum suscipiant conductiones. Diuersas vero poenas, quae violatoribus ejus imminent, his significat: Εἰ δὲ τις παρὰ ταῦτα εἰρημένα τι ποιήσῃ, οὐ μὲν ἐπίσκοπος ἔιπι, πάντα ἀυτὰ τὰ πράγματα ταῦτα ἐξ ὅλων πάντας ἢ προσώπους, ἐίτε πρὸ τῆς ἐπίσκοπης, ἐίτε μετὰ ταῦτα εἰς αὐτὸν περιελθόντα, τῇ ἐκκλησίᾳ ἀυτῶν ἐκδικεῖθαι θεσπιζόμεν. Εἰ δὲ ὄικόνομος ἢ ἄλλοι ιληρικοὶ εἴεν διτέστο πλευρελήσαντες, ποιῶν ἀυτὰς χειριστικὴν, ὃν δὲ ἐπίσκοπος ἀυτῶν δοκιμάσοι, εἰσ πράττει θαμ, τῇ ἐκκλησίᾳ ἐκδικηθησομένην ὅποτε καὶ δι τὸν μιθωσιν τὸν τελῶν ἢ ὄισδύποτε ιτύσεως, ἢ δημοσίων φόρων ἐκληψιν, ἢ ἀπαίτησιν, ἢ

^{e)} Cap. I. X. ne cler. vel monach. secul. negot. se immisc.

^{f)} Cap. VI. X. cod.

^{g)} In Nouell. CXXIII. Cap. VI.

Φροντίδια ὅκεις ἀντοῖς πιεύσαντες, ἢ ἐγγυηταῖς ἀντές ὑπὲρ τῶν μημόνευθεσῶν ἀγτιῶν δεξάμενοι, μηδεμίᾳ κατὰ τῆς ἐπικλησίας, ἢ τῷ μοναστηρίῳ, ἢ τῷ πραγμάτων ἀντῷ, ἢ διοικητᾷ, ἢ οἰκέτῃ τῶν προσώπων σίς πιεύσεσσιν, ἢ οἰκότῃ τῶν βασιλίων ἢ ἐγγυητῶν ἀντῶν ἔχετωσαν αἰγωγήν. Ἐκεῖνοι δὲ ὃι τινες δημοσίων συντελειῶν ἡ τελων ἐκληψιν ἡμιθωσαντά πάσι τοῖς μημόνευθεσίοι προσώποις πιεύσεσσιν, ἢ ἐγγυηταῖς ἀντές δέξοντο, εἰ τις τῷ δημοσίῳ ζημίᾳ συμβάῃ, ταῦτην ἐκ τῆς διμείας ὑποσάσεως ἀποκατασῆσαι ἀναγκαθίσονται. i. c. Si quis autem contra ea, quae dicta sunt, aliquid fecerit, si quidem episcopus fuerit, omnes eius res, ex qualibet causa vel persona, siue ante episcopatum, siue post hoc fuerint ad eum venientes, eius ecclesiae vindicari sancimus. Si autem oeconomici, aut alii clerci fuerint hoc delinquentes, pecuniariam eos poenam, quallem episcopus eorum probauerit, exigi ecclesiae vindicandam: cum etiam conduictionem teloniorum, aut cuiuslibet possessionis, aut publicarum collationum perceptiōnem aut exactiōnem, aut sollicitudinem domus eis credentes, aut fideiūssores eos pro memoratis causis suscipientes: nullam contra ecclesiam aut monasterium, aut res eius, aut gubernantium, aut contra illos personas, quibus crediderint, aut contra facultates aut fideiūssores eorum babeant actionem. Illi vero qui publicarum collationum, aut tributorum susceptionem,

αὐτοὶ ποιοῦσιν αὐτ

aut conductionem, aut exactionem memoratis personis crediderint, aut fideiussores eos acceperint, si quod publico damnum contingat, hoc ex propria facultate restituere compelluntur. b) Imperator vero LEO i) clericos, qui se aduocationibus, sponsionibus, redempturis, aliisne similibus dedunt, ita coercent, ut excommunicentur et ad aliquod tempus a celebrandis sacris supersedeant, atque vbi ita delicto dignam poenitentiam egerint, promisso facto, se ab humanorum negotiorum commercio pro viribus deinceps mundos conseruatuos, ad sacra tractanda denuo introducantur; et si iterum iisdem rebus se polluere deprehendantur, omnimodo ut profani et indigni a sacris functionibus abstineant.

§ III.

*Causa huius
prohibitionis.*

Causam vero prohibitionis praecipue ex statu et conditione militis deducunt, nec non in neglectu officii sacri suscepti colloquant vtraque iura. Quem ad modum enim negotiationem et praediorum conductionem a milite suscepit reipublicae noxiā et a militiae dignitate longe remo-

b) Quod iuris Iustiniani placitum ad verbum exhibetur in *BASILICIS*
Lib. III. Tit. I. §. 13. ex edit. C. A. FABROTI Tom. I. pag. 123.
seq.

i) In Novell. LXXXVI.

9

tam duxerunt imperatores, ^{k)} cum iste armis, non priuatis occupetur negotiis, imo in huius prohibitionis contemnptores grauiter animaduertirunt, ^{l)} vt a militiae gradu sine regressu ad pristinum statum remoueantur, infamia notentur, post conductionem a publico susceppta statim restituantur, locator sciens ^{m)} contra conductores milites destituantur actione, et delatio huius criminis publica sit, ita et eandem, cum nemo Deo militans se negotiis implicet secularibus, vt possit placere ei, cui se probauit, ⁿ⁾ et per hoc aucupium lucri terreni sanctis domibus damnum fiat, sacraque ministeria impediantur, ^{o)} longe a militiae coelestis ^{p)} dignitate alienam existimarunt.

B §. IV.

^{k)} L. 31. C. de Locato et Conduct. L. 15. seq. C. de Re Militar. L. vnic. C. Negotiatores ne militent. Nouell. CXVI. Cap. I.

^{l)} L. 35. C. de Locato Conduct. add. PEREZ in Comment ad Cod. Tit. Locat. Cond. Num. 5.

^{m)} Quod fecus, si ignorans quis militi quasi pagano locauerit. L. 50. Tit. Locati Conduct.

ⁿ⁾ II. Timoth. II. v. 4. Can. 3. Cap. XXI, Qu. III.

^{o)} Nouell. CXXIII. Cap. VI.

^{p)} De clero militi Christi vide Can. 19. Cap. XXIII. Qu. 8. C. I. X. de clero segregante, II. Feud. 21.

§. IV.

*Ius tamen
canonicum
et civile va-
rias iam ex-
hibet interdi-
ctionis limita-
tiones.*

Quamvis vero ista conducendi facultas adeo generaliter clerico prohibita censeatur, ut ad omnes clericos et omnium praediorum conductiones quascunque pertinere videatur, tot tamen limitationibus atque cancellis, quos partim canones, legesque ipsae, partim interpretum ingenia suggesserunt, coarctatur interdictio, ut raro deesse appareat clericu conductori excusationem. Nam primo clericos ad praediorum ecclesiasticorum conductiones, quae spiritualem quandam habeant qualitatem, admittendos esse, NOVELLA CXXIII. Cap. IV. verbis: *τοῖς ιλημοῖς ὅμιλος τῶν δικείων ἐκκλησιῶν τὰς κτήσεις μαθέσθαι καὶ διοικεῖν (γυνόμη μέντοι τῇ ἐπισκόπῳ καὶ τῷ δικονόμῳ) συγλωρέψειν*, i. e. clericis similiter propriarum ecclesiarum possessiones conducere et gubernare, cum voluntate tamen episcopi et oeconomi, permittimus, non modo clarissime euincit; sed etiam ORDINAT. ECCLES. MAGDEB. Cap. XXIII. §. 18. expressis constituit verbis: Die Acker, Wiesen, und andere Kirchengüter, so um jährlichen Zins pflegen ausgethan zu werden, sollen zu Zeiten auch andern, als die solches vorher gehabt, vermietet; jedoch denen Predigern, wo sie solche Güter haben, der Zins ohne erhebliche Ursachen nicht gesteigert, auch ihnen sonstigen

gen

gen richtige Zahlung der Gebrauch vor andern gegönnet werden. pp) Deinde clericum a rerum conductione suo nomine tantum inita repelli, et hinc, si ea alterius nomine fit celebrata, illum non arceri, ex dictis ALEXANDRI III. Papae: 9) probibemus, ne monachi a clericis vel laicis SUO NOMINE firmas habeant, colligit BOEHMER, r) quamvis MICH. GRASSVS 10) ob regulam VLPIANI: 11) *Quod quis suo nomine exercere prohibetur, id nec per subiectam personam agere debet*, hanc limitationem in dubium vocet. Tum maximum praesidium clericis conductoribus, si qualemcumque vitae necessitatem praetexere queunt, pfaebet Cap. I. X. ne clerici vel monachi sec. negot. se immisceant, addita hac caula: *quia legimus sanctos apostolos negotiatorios fuisse.* Quae prohibitionis restrictio ab Imperatoribus CONSTANTIO, 12)

B 2 GRA

pp) BOEHMER in Iur. Paroch. Sect. VI. Cap. II. §. 21. —

9) Cap. VI. X. ne cler. vel monach. secul. negot. se immisc.

r) In Iur. Eccles. Protest. Lib. III. Tit. XIII. §. 7.

10) In Disp. de Negotiatione clericorum prohibita, Cap. IV. Num. 4.

11) L. II. §. 1 π. de administ. rer. ad ciuit. pertinent.

12) In L. 15. C. Th. de Episcop. eccles. et cler.

GRATIANO VALENTINIANO atque THEODOSIO,^{a)}
et CONSTANTINO^{b)} egregie quoque adiuuatur.

§. V.

*Quae et vſu
fori compro-
bantur.*

Denique sicut hodie milites, si ab armis non detinentur, ad conducenda praedia absque vila haesitatione admittuntur, diuersaeque poenae in hos iure ciuili sancitac in Germania ex communi Doctorum opinione exulant, ^{c)} ita et a Clericis celebratam praediorum, aliarumque rerum conductionem non amplam, muneri facro haud indecoram et ecclesiae non noxiā comprobant iuris sacri interpretes. ^{d)} Quae sententia, cum conductio proxima sit emtioni, iisque regulis confitat, ^{e)} et clerici in Saxonia Electorali ius ciuitatis, nec non bona immobilia acquirere, omnibusque iuriis inde nensis, citra tamen officii neglectum et contem-

^{a)} L. II. C. Th. de iustrali collatione.

^{b)} L. II. C. de Episcop. et Cler. Iung. PEREZ. in Comment. ad Cod. Tit. Locat. Conduct. Num. 6,

^{c)} Conf. HAHN ad WESENBEC. Tit. Locat. Num. 2, STRYK, VI. Mod. Pandect. Tit. Locat. §. 66.

^{d)} BOEHMER. in Iur. Ecclef. Protest. Lib. III. Tit. XVIII, §. 9.

^{e)} L. II. π. Locat. Conduct.

tum ordinis vii possunt; ^{c)} iuris aequitatisque rationi satis
consentanea censetur, imo ab ipsa necessitate, vt si aedes
parochiales sunt combustae aut destructae, et iumenta ara-
toria, aliasque res vitae humanae subsidiis inservientes clerici-
cus amisit, vehementer commendatur.

§. VI.

Multo minus IVSTINIANI, ^{d)} qui locatoribus contra
conductores clericos denegat actionem, placitum usus fori
comprobat, cum his non tam stricte praediorum conductio An locatori-
bus contra
conductores
clericos deneg-
etur actio.
fit prohibita, iura canonica, quibus potissimum iura clericorum
aestimantur, de actionis fileant priuatione, atque, dum
clericis in conducendo potissimum delinquent, locatoribus
ratione residuarum pensionum non succurrere, durum for-
ret: ^{e)} Interim tamen haud est dubitandum, quin Consilia,
si decorum laeditur et scandalum praebetur publicum,
clericis conductoribus limites ponere, et conductionis con-
tractum insignem curam et sollicitudinem ob praediorum ad-

c) ORDINAT. ECCLES. SAXON. von Immunitat und Freyheiten der
Kirchen und Schuldienst verb. Wenn auch.

d) Nouell. CXXIII. Cap. VI.

e) BOEHMER. in Iur. Eccles. Protest. Lib. III. Tit. XIIIX. §. 8. GROEN-
WEGEN. ad citat. Novel.

ministracionem amplissimorum desiderantem, et in plures annos a clero initum, cum salus ecclesiae, quae suprema lex est, id postulet, rescindere, imo pro ratione circumstantiarum heredem clericum a testatoris quaestuaria conductione liberare queant. *f)* Quem ad modum vero clericus locatori, qui illius conditionem sciuit, ob conductionem rescissam ad praestandum interesse haud obligatur, ita e contrario iustum et aequum est, ut si locator ignarus conditionis clericci, cum quo contraxit, *g)* aut clericus successor a conductionis continuatione immunis pronunciatur, ad istud obstringatur. *h)*

§. VII.

*An clerici
conductores
propriis alibi
frumentur pri-
uilegiis.*

Quod reliquum est, clericos colonos et inquilinos priuilegiis, aut immunitatibus officii sui intuitu concessis haud gaudere, atque iuribus laicorum ordinarie vti, ipsa rei conditio satis demonstrat. Hinc si aut ante munus sacrum suceptum, aut in ipso munere locarii causa cambia dederint,

rigor

f) BOEHMER, loc. cit. §. 9. IDEM in Disp. de Clerico debitore cap. III. §. 12.

g) Arg. Lib. I, π. Locat. Conduct.

h) BOEHMER, in Instit. Iur. Can. Lib. III. Tit. XLIX. §. 4.

rigor cambialis et executio in carum personas haud differtur
 atque remittitur, licet arbitrio iudicis relinquatur, anne
 poena, et qua sint coereendi.ⁱ⁾ Pari ratione de conductis
 praediis rusticis alias decimis obnoxiiis et extra fines ecclae-
 siae aut parochiae sitis, vti de propriis bonis, decimas pree-
 stare coguntur. Obligationem hanc clericis conductoribus
 et Decretum CONCILII MOGVNTINENSIS ^{k)} et INNOCENTIVS
 Papa ^{l)} et omnium clarissime ALEXANDER III.^{m)} imponit.
 Nec hic interest, an possessor praediorum dignitate superet
 eum, qui ius decimandi habet, an non, si quidem hic solum ad
 possessionem praediorum, non vero ad dignitatem respicitur,
 idque onus rem apud quemcunque possessorem comitatur.ⁿ⁾
 Item ratione reliquorum onerum realium atque personalium
 ob rerum conductionem praefandorum immunitate de-

stitu-

i) ORD. PROC. SAX. REC. APP. §. II. et IO. FLOR. RIVINV S in
 Disp. de clero cambianto §. 8. et 9.

k) Cap. XLII, Caus. XVI, Qu. I.

l) Cap. XXXII, X. de Decimis.

m) Cap. VIII, X, de Decim. add. CASP. HENE, HORN, in Disp. de
 clero clericum non decimante §. 16. seq.

n) Cap. XXXIII, in fin. X. de Decimis.

stituuntur clerici, qui quidem ab his, si vilia sordidaque sunt, per substitutos se liberare queunt. ^{a)} Praeter ea, si agri conducti colantur, ad ius protomiseos, quod in operis parochianorum ad fundorum culturam parochialium exercent, ^{b)} provocare nequeunt. Imo sicut, si locatorem laicum conuenit, iudicem seculariem, cum actor et si alias priuilegiatus sequatur forum rei, ^{c)} agnoscere, aut item contra rei secularis conductorem laicum motam coram eodem, ut heres ^{d)} continuare obligatur clericus, ita et, si alio in loco conductionem init, in foro ecclesiastico illius loci, quo contraxit, contra istum praesentem experiendum esse; demonstrat M E N C K E N I V S. ^{e)}

§. VIII.

^{a)} Cuius rei argumentum praebet O R D. E C C L E S. T i t. Von Immunit. und Freyh. verb. Darneben sollen unsere Kirchendiener in Städten und Dörfern aller persönlichen Burden, mit Wachen, Gerichtsfolg und sonstigen für ihre Person verschont bleiben, und ihre Erbgüter schuldige Frohn und dingliche Pflicht durch andere ums Lohn bestellen mögen. Nec minus clerici vasalli in Sax. per substitutos exhibent servitia C O N S T. E L E C T. XXVIII. Part. III.

^{b)} O R D. E C C L E S. A r t. General. XXVII. et D E C R E T. S Y N O D. R E V I S. §. 69.

^{c)} L. II. C. de iurisd. omn. iudic. cap. V. X. de Fer. Compet.

^{d)} Ill. K Ü S T N E R ad D E Y L I N G. Inst. Prud. Past. pag. 262.

^{e)} In Syft. Pandectar. Lib. V. Tit. I. §. 33.

Quae vero ratio clericum a praediorum conductione am-
plissimorum avocare videtur, ea suadet et commendat eidem
operarum conductionem. Cum enim in despectum sacer-
dotii abiret, et clericum a studiis et officio concredito valde
detraheret, imo rei familiariri maximum imminerent detri-
mentum, si rusticis, quorum animarum cura ipsi est deman-
data, in exercenda agricultura se immiscere, et in negotiis
domesticis suis operas manuarias quascunque praestare ma-
xime solus conaretur, prouida legislatorum, maiorumque
nostrorum pietas non modo saepe simul cum fundo seruos
constituit dotales, quorum opera clericus in agris colendis
vtatur, sed et parochianos, vt pro mercede ope sua necessi-
tati eius succurrant, certa ratione obstrinxit, famulosque,
qui operam in mercimonii habent, per conductionem ad-
seiscere ei permisit, imo illos priuilegiis ornauit admodum
favorabilibus. Nostrum in praesenti non est, quibus modis
et Principes et priuati animo pio atque religioso mancipiis
vna cum praedio destinatis rebus clericorum domesticis sub-
venerint, iisque mansum vestitum i. e. familia instructum
ecclesiastica ad vtendum concederint; plura hac de re anti-
qua nobis prodit historia, et varia dotalium hodiernorum ge-
nera

nera pro diuersis officiis, ad quae obligantur, enarrat ZIEGLER.¹⁾ Proposito nostro accommodatus ducimus inquirere, quia ratione parochianos, famulosque ex conductione cum iis inita sibi obliget, et quo singulari hic vtatur iure clericus.

§. IX.

*Qua ratione
clericci in pa-
rochianorum
operis iure
protimiclos
gaudent.*

Quod attinet parochianorum operas, falsam omnino opinionem CARPZOVIO²⁾ affingit WERNHERVS³⁾ existimans, istum agrorum parochialium culturam indistincte parochianis in Saxonia incumbere statuisse. Subsequentia CARPZOVII⁴⁾ placita satis euincunt, ministrum ecclesiae tum demum, vbi culturam aliorum pro mercede suscipere conantur parochiani, in operis exigendis preferendum esse, et iure protimiclos gaudere. Etenim iura

¹⁾ Tract. de Date Ecclesiae cap. IX. §. 53.

²⁾ In Iurispr. Eccles. Lib. II. Def. 355.

³⁾ In Observat. Select. Part. IV. Obs. 96.

⁴⁾ In Iurispr. Eccles. Lib. II. Def. 358.

Sax
tell
vti,
pos
hoc
teru
pra
tan
ita
§. C
wie
unt
rich
rat

Saxonia 2) disertis verbis hanc conditionem supponunt, vt intellectu facile sit, extra hanc speciem parochianos libertate sua vti, nec iis inuitis agrorum parochialium culturam obrudi posse. Interim tamen ne vnis, vt fieri solet, in alterum hoc onus rejiciat, omnes eidem ordine subiiciuntur. 2) Ceterum quem admodum clerici has operas nec a patrono nec praediorum equestrium possessoribus exigere queunt, cum tantum iure patrio rusticorum et mansariorum fiat mentio, ita et generalitas verborum in DECRET. SYNOD. REVIS. §. 69. Insonderheit aber sollen die eingepfarrten Pferdner — wie denn auch andere Pfarrkinder ihven Pfarrer in der Erndte und sonstien, wenn er ihrer bedarf, nebst ihren Erb- und Ge-richtsherrn, um billigen Lohn für andern arbeiten sollen, et rationis in ORD. ECCLES. SAX. Art. General. XXVII. Auf

C 2

Das

y) Vid. ORD. ECCLES. SAX. Art. General. XXVII. verb. Das die Bauern fremde Aecker um Geld zu beschicken nicht eher annehmen, es sind denn zuvor des Pfarrers und des Schreibers Aecker, da sie nicht selbst anzuspannen haben, samt ihren Nachbarn desselben Dorfs Aecker um ein gebührlich und gleichmäig Lohn beschicker. DECRET. SYNODAL. REVIS. §. 69. verb. für andere zu beschicken — für andere arbeiten sollen. Coincidit cum iis ORDINAT. PROVINC. GOTHAICA Part. I. cap. VI. Tit. I. §. Sintemahlen. Add. I. C. NEHRING Tract. de Privilegiis Pastorum cap. III. No. 10.

²) ORD. ECCLES. SAX. GENERAL. XXVII.

daß die Pfarrer die Aecker, so ihnen zum Unterhalt verordnet, samt ihrem Haufgesinde genießen, und ihres Studirens und Amts desto fleißiger auswarteten können, paroecianos agricultas ad operas indefinite et discrimine, an manu et corporis labore tantum, an iumentis, vt equis, bobusue aratoriis, a) simul exhibeantur, haud obseruato, obstringere videtur, imo haec servitia nec certo tempore et numero, nec specificis laborum ruralium generibus esse circumscripta, existimatur. b)

§. X.

*Quae merces
parochianis
et clericis tum
solvatur.*

Maxima tamen inter seruitia dotalium et parochianorum ruricolarum, vt illis operarum intuitu nihil quicquam exsolvi debeat, et ne quidem alimenta a clericis praestentur, c) his vero mercedem constituere, necesse sit, intercedit differentia. Ne vero a parochianis iniqua petatur merces, et clericis nimia compensatione grauentur, succurrere iis voluit Serenissimus Sax. Elector, tales exprimens mercedem,

quae

a) ILLVSTR. KÜSTNER ad DEYLING. Instir. Prud. Part. pag. 254.

b) CARPOV. in Iurispr. Eccles. Lib. II. Def. 356.

c) CHR. LUD. CRELL. in Disp. de rusticorum dotalium immunitate a iuridict. et oneribus seculari. §. 12.

quae iusta et aqua videtur, eiusque quantitatem, si pastor cum colonis non conueniat, sed de hac inter partes controvèrtat, arbitrio et iudicio Superintendentis, collatoris et iudicis ordinati, et si hi rem confidere nequeunt, determinationi Consistori committit. ^{d)} Longe diuersa est ratio, cum custos pecorum ab vniuersitate constituitur, vbi ratam suam parochus, ut alius paroecianus mansarius, et iudimoderator, ut consfatus, conserunt, ^{e)} nec vtrique ad Consistorii arbitrium provocare queunt. Quodsi paroeciani precario seruiunt, modico vi-
tu, qui sumnam et quantitatem mercedis non ascendat, multo minus excedat et supereret, contenti esse iubentur. ^{g)}

C 3 OTUS DISCERNENDI §. XI.

^{d)} DECRET. SYNOD. REVIS. §. 69.

^{e)} Arg. ORD. ECCLES. SAX. Tit. von Freyheiten derer Kirchen- und Schuldiener §. Sie sollen auch, in Corp. Iur. Eccles. pag. 199.

^{f)} ORD. ECCLES. SAX. Art. General. XL. In quibusdam tamen locis ab hac mercede, clerici sunt immunes. Vid. BEYER ad CARPOV. Iurispr. Eccles. Libr. I. Def. 124. Et in ORD. PROVINCIAL. GOTHICA, p. 1. cap. V. Tit. I. verb. Hierin eben wiederholen wir ausdrücklich, daß jedes Orts Pfarrer drey oder vier Stück Rindviech vor den Hirten Schutzfrey gelassen werden solle, wäre aber an elli- chen Orten ein mehrers hergebracht, darbey soll es auch hinsicht sein Bleibens und Bewendens haben.

^{g)} ORDINAT. ECCLES. SAX. Art. General. XXVII.

§. XI.

*An hoc ius
protomiseos et
clericis in al-
terius paro-
chi dotales
competat?*

Num vero id ius protomiseos etiam clericis competit in alterius parochi dotales, qui sub illorum parochia habitant, eorumque cura animarum fruuntur, quondam disquisitum fuit. Quamvis parochus, cuius dotales erant rustici ad *De-cret. Synod. de an. 1624. §. 20.* Wie auch et *Reuf. de an. 1674. §. 70.* prouocans, quibus, ne dotales nouis seruitiis onerentur, cautum, desiderio confessionarii dotalis contradiceret, petitionem tamen parochi curam animarum gerentis ob Art. General. XXVII. *Ord. Eccles. Sax.* cum dotales alterius parochi non modo proprios et parochi, cuius dotales erant, sed et extraneorum agros pro mercede colerent, iniquam haud esse, respondit *Ordo Clericorum Vitemb.* h)

§. XII.

*De clericis
operas famu-
lorum condu-
centibus.*

Præsertim ex eo quoque tempore, quo clerici ipsi suas bonorum portiones per se administrarunt, propriamque instituerunt oeconomiam, nihil iis fuit visitatius, quam operis famulorum pro mercede conductorum vti, e contrario seruis

h) Penes HORNIVM in *Resp. IV. Class. V.* et in *Disp. de præstacione parochianorum et Dotalium Cap. VII. Num. 5. Add. BERGERI Oct. Iur. Lib. I. Tit. II. Th. VIII. Num. 12.*

his mercenariis ob priuilegia, quibus saepe muniuntur, nihil acceptius, quam operas suas parocho commodare. Quamuis enim CONCILII MOGVNTINI decretum ⁱ⁾ pro aliquo seculari quaestu, pretioue hominum conductiones negotiis annumeret secularibus, a quo et clericus et monachus abstineat, necessitatem tamen ipsam, et si turpe lucrum ab eo non quaeratur, prohibitionem istam tollere, eadem iuris placita copiose commonstrant, et contractus conductionis, iustitiam, cum clerici ordinationes famulitias in Saxonia promulgatas quam accuratissime obseruent, ^{k)} patria iura satis defendunt. Num vero parochus a dotalium rusticorum liberis, si ex domo paterna egredi, aliorumque famulitiae ingredi velint, operas per biennium, vti dominus iurisdictionis patrimonialis a liberis subditorum, exigere queat, ^{l)} quaestio est per celebrata, quae tamen, licet dotales clericis operas praestent indeterminatas, si non aliud ex consuetudine loci legitima introductum, recessibusue prouisum, ob locum *Decreti Synod. Reuisi* §. 70. in responso penes BEY-

ERVM

ⁱ⁾ Cap. I. X. ne clerici vel monachi secul. negot. se immisceant.

^{k)} EXTRACT aus dem Landtagssabschiede d. d. 5 May 1737. in CANT.

COD. AUG. Tom. I. pag. 63. Num. 2.

^{l)} ORD. POLIT. de anno 1661. Tit. XXIII. cap. 3. §. 1. Gesindes ordnung de anno 1735. et 1739. Tit. VII.

ERVVM ad CARPZOVIVM ^{m)} negatur. Multo minus iurisdictionis realis dominus antea laudatum ius protimiseos ad liberos dotalium parochialium, iurisdictioni suae haud subiectorum, trahere poterit ⁿ⁾ quanquam ex aduerso clericus pati obligatur, vt nobiles in pagis subditorum suorum liberos famulitum suum ingressos ad operas seruiles domino iurisdictionis praestandas euocent. ^{o)}

§. XIII.

*An clericici
conductores,
et famulitum
ad forum
seculare voca-
tur, pati de-
beant.*

Longe difficilior vero, an et clericici conductores, vt eorum famulitum in causis ciuilibus, in ius loci seculare vocatur, permittere debeant, et an famuli ancillaeque locatrices a foro herorum priuilegiato excludantur, cum hac de re tam a Romano Catholicis, quam Protestantibus in vtramque disceptatum fuit partem, et inter Dicasteria Saxonica ipsa quondam maximus obtinuit dissensus, est quaestio. Aientem sententiam, cum expressa et clara lex, quae famulis in specie priuilegium exemptionis a iurisdictione seculari tribuat, non

extet

^{m)} Lib. II. Def. 357. Add. Io. PAVL KRESSIVS in Disp. de Paroemia:
Untern Krumstab ist gut wohnen.

ⁿ⁾ CHR. LVD. CRELL, Disp. de rusticorum dotalium immunitate a iurisdictione et oneribus secularibus §. 10.

^{o)} RIVINVS ad Ord. Proc. Sax. ad Tit. IV. Enunc. XXXVII.

extet, tuentur GONZALEZ TELLEZ, ^{p)} STRYCKIUS ^{q)}
 LVDOVICI ^{r)} et BOEHMERVS ^{s)}) Imo hanc in Marchia
 obseruari, testatur BRVNNEMANVS, ^{t)} eaque in Renouat.
Ordinat. Eccles. Quelpherlyt. his confirmatur verbis: Was
 aber ihr Gesinde und Hausgenossen anlanget, bleiben selbige
 zwar der weltlichen Jurisdiction unterworfen, es soll jedoch,
 wenn dieselbe sive ciuiliter sive realiter zu citiren, die Noth-
 wendigkeit erfordert, solches denen Predigern vorher angeme-
 det werden.^{u)} Nec non in Saxonia a Consistorio Lipsiensi
 saepius proditam et praxi diurna, hac tamen limitatione,
 ut magistratus ciuilis famulitum clericale non nisi mediante
 subsidiaria citatione in ius vocare possit, corroboratam fuisse,
 edocet DEYLING. ^{v)} et RIVINVS. ^{w)} Neganti vero senten-

D

tiae

p) In Comment. ad Cap. 10. X. de officio Archidiac. Num. 3. seq.

q) Ad BRVNNEMAN. Ius Eccles. Lib. III. Cap. I. §. 12. in fin.

r) In Consistorial. Process. cap. V. §. 4.

s) In Iur. Eccles. Protest. Lib. II. Tit. II. §. 43.

t) In Comment. ad L. II. C. de Episcop. et Cler.

u) Vid. G. L. BOEHMERI Princip. Iur. Canonici Lib. II. Sect. III.
 Tit. VI. §. 279. lit. e.

v) In Instit. Prud. Pastor. Part. II. cap. III. §. 32.

w) Ad Ord. Proc. Sax. Tit. IV. Enunc. XXXVII.

tiae ad stipulari et legem 2. §. 1. et 4. C. de Episcop. et Cler. ^{a)}
et canonem 69. Caus. XII. Quaeſt. 2. nec non; famulos con-
ductitios forum domini fortiri, experientia ſatis probari, de-
montrat CRELLIUS, ^{b)} et hodie apud roſmano catholicos
huic famulitio priuilegium fori concedi et in Consistorio Vi-
tembergensi, aliisque locis hanc opinionem vſu receptam at-
que variis Rescriptis Electoribus comprobata ſuisse, ostendit
HORNIUS, ^{c)} BEYER ^{d)} atque WERNHER. ^{e)} Lipsi-
enſe quoque Consistorium ante aliquot annos iam ad simili-
tudinem aliorum Consistoriorum vetera placita mutasse, et In-
gatiuae accessiſſe opinioni, conſitetur ILL. KÜSTNER ^{f)} at-
que HOMMELIUS ^{g)} ut ita famuli clericorum, vt et dotalium

domi-

^{a)} Add. L. I. C. de Episcop. et Cler. L. fin. C. Vbi cauſae fiſcales vel
diu, domus hominumque eius agantur.

^{b)} In Disp. de ruficorum dotal. immunitate etc. §. 24. Add. Io. Nic.
HERTIVS de Transitione priuilegii in alios §. 21. et FRID. Es. PVF-
FENDORF. in Obs. Iur. Tom. I. Obs. 166. §. 2. et Tom. III.
Obs. 197.

^{c)} Ad SCHILTER. Inst. Iur. Can. Lib. I. Tit. 18. §. 8.

^{d)} Ad CARPZ. Iurispr. Eccles. Lib. III. Def. 6.

^{e)} In Select. Obſeruſt. Part. IV. Obs. 12.

^{f)} Ad DEYLING. Inst. Prud. Pastor. pag. 265.

^{g)} In Rhapsod. Iur. Obs. 53.

domestici ^{e)} absque nota turbationis jurisdictionis ecclesiasticae regulariter a iudice seculari citari nequeant.

§. XIV.

Tandem ut clerici seruos solertes, fidos, obsequioque celeres in famulitio habeant, agri maxime alimentis ministrorum ecclesiae destinati per defectum mercenariorum ne inculti maneant, curaque animarum, cum clericci ipsi rur colere necesse habeant, haud neglecta iaceat, insigne parochis ex liberalitate Serenissimi Principis Saxonici ^{f)} indulatum est priuilegium, ut eorum famuli a militia sint immunes, nec ad signa rapi queant. Quem ad modum vero clericus operarum conductor, si seruus locator lubens, volensque nomen militiae dat, ad hoc beneficium vterius prouocare nequit, licet famulus per conuentum conductionis tempus operas locatori volenti praefstare adhuc debeat, iurisdictionique ciuili subiectus maneat, ^{g)} ita et hoc vires suas perdere

*An clericis
inuitis famu-
li eorum ad
militiam tra-
hi queant.*

e) Vid. CHR. LVD. CRELL, in cit. Disp. §. 24.

f) Vid. Ediſ. dd. 24. Decembr. 1767. in Adieſt. Verzeichniſ derjenigen Personen, ſo in Anſehung ihres treibenden Nahrungsbewerbs, von der bevorſchenden Landrecrutengeſtellung eximiret ſeyn sollen. Num. VIII. CONT. COD. AVG. Tom. I. pag. 1240.

g) Vid. in Sex. ORDONNANZ. de an. 1752. cap. VIII. Num. 77.

❖ ❖ ❖

perdere in eo, qui iam olim sacramento obligatus, et in matricula militum descriptus est, res ipsa docet; et in Can. I. Dist 53. vi cuius militiae obligati et militares viri ne in clero ecclesiae quidem praepropere fuscipendi sunt, iam comprobatur. Imo et parocho huic priuilegio exemptionis a militia in suum fauorem principaliter introducto, inuitu et iam famulo, renunciare licere, edocet recentius *Generale Saxonum d. d. 8. April. 1768.* ^{b)}

^{b)} Die Nachlieferung derer zurück gebliebenen Landrecruten betreffend. Eiusdemque Erläuterungspunkte, wornach sich bei der Nachlieferung derer rückständigen Landrecruten zu achten ist. Num. IX. CONT. COD. AVG. Tom. I. pag. 1243.



Wittenberg, Diss., 1770-73
X 2283235



DISPV TATIO IVRIS ECCLESIASTICI
DE
CLERICO
RERVM ET OPERARVM
CONDVCTORE

QVAM
PRAESIDE
CHRISTIANO GOTTLIEB
HOMMELIO D.
TIT. DE VERB. SIGN. ET REG. IVR. PROF. PVBL.
ET FACVLT. IVRID. ASSESSORE

IN AVDTORIO MAIORE
DIE XII. CAL. IVN. A. R. S. CICICCLXXIII.

H. L. Q. C.
PVBLICE DEFENDET
FRIDERICVS EMANVEL HELBINGIVS
BVDISS. LVSAT.

VITEMBERG AE
EX OFFICINA GERDESIANA

